



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 35. Apologia Pisani Concilii ab ejusdem Patribus publicata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. naliū epistola Mediolani in castro S. Don-
A. C. 1511. nini die quarta Septembris Anno Do-
 mini millesimo quingentesimo undeci-
 mo. (*)

§. XXXV.

*Apologia Pisani Concilii ab ejusdem
 Patribus publicata.*

Eodem Mense Septembri Patres pro Con-
 cilio suo apologiam divulgant, quæ
 in eodem Burgo prope Parmam die vige-
 sima septima ejusdem Mensis Cardina-
 lium, Prælatorum, aliorumque hujus Sy-
 nodi membrorum nomine concinnata
 fuit. Querebantur illi passim verbis ni-
 mium vehementibus contra summum
 Pontificem, ac præprimis exponunt, ni-
 hil magis proprium esse Ecclesiæ, quæ
 Christi Sponsa est, quam humilitatem,
 constantiam, & veritatem, se hanc apo-
 logiam eo duntaxat consilio concinnasse,
 ut ad duplicem Pontificis epistolam a-
 speris, & amaris verbis plenam respon-
 derent; postea humiliter ac modeste Pa-
 tres se opponerent illis, qui Julio Papæ
 au.

*In act. Pis.
 Conc. II.
 p. 5. & seq.*

(*) Edmundus Richerius, qui hæc acta reci-
 tat, hanc epistolam undecima Septembris da-
 tam testatur.

auctores extiterunt, ut Lateranense Concilium indiceret, & Pisanos Præsules censuris perfringeret, demum vero quatuordecim crimina ipsis objecta diluere, omnesque rationes, quibus Papa suam agendi rationem vindicabat, dissolvere nituntur, significantes, quod nunquam supremi Papatus aucupandi cupiditate stimulati fuerint, sed unice regimen Aristocraticum a Christo Domino D. Petro concessum restaurare velint: allegant quoque rationes, quibus permoti a Romana Curia recessissent, eo quod, inquiebant, ibi nec libertati, nec vitæ nostræ securitati satis cautum fuisset, adduntque quod mandata Sedis Apostolicæ, quando ex iis evidens periculum imminet, audiri quidem, sed non impleri possint. Fatentur se quidem armatorum præsidio stipatos auffugisse, id tamen fuisse factum caussantur, ut a discrimine atque Concordiensis Episcopi insidiis tuti essent, cum alias illius fraudes ac dolos haud effugere potuissent, nisi alienis vestibibus induti incessissent. Tandem ad amborum Cardinalium, qui se Pisani Concilii convocationi consentisse inficiabantur, rationibus respondent.